

L. S.

Disertationem Academicam conscribere, numquam mihi proposueram. Nam si bonae debeant esse disertationes, ut certe debent, multum in iis operae ponendum est. Et tamen haec opera plerumque impenditur enarrandis rebus diu cognitis et jam olim accuratissime pertractatis: cum non nisi è millibus contingat uni novam aliquam invenire materiam, cui rite disponendae, tractandae et enarrandae, aut cogitatione, aut experimentis, aut denique oratione par sit. Quodsi vero huiusmodi aliquid inveneris idque docte et eleganter pertractaveris, quam in paucorum manus tuum opus pervenit, quam pauci illud legere, quam pauciores illud intelligere et dijudicare possunt. Accedit praejudicata hominum opinio, qua quidquid boni a juvene edatur, illud non ab eo profectum suspicentur, verum a profesore dictatum dicant, ita, ut ad disertationes eas, quae sub praeside defensae sunt, qui eas citant scriptores, nomine juvenis auctoris omisso, solum praesidis nomen commemorent. Nos autem haec omnia deterruerunt. Nolumus agendo nihil agere: nova materies non aderat, certe non illa, cujus tractationi pares eramus, nec si quid docte et eleganter conscriptum dare potuissimus, placuisset nobis videre illud postea professoris nomine inscribi. Itaque non nisi propter novam Academicarum legem suscepimus scriptionem huius disertationunculae, quam

brevi tempore ad finem perduximus, non vero absolvimus aut perfecimus. Nihil enim brevi perficitur. Quidquid autem boni illa habeat, illud omne est Paradysii. Cui viro quantum debeam, dicere non possum. Nam et in privatis sermonibus familiarius eo usus sum, quippe a patre meo ad eum adductus, et vero eum in scholis ita perspicue, docte et eleganter docentem audiui, ut et facile intelligeretur, quid diceret, et abunde cognosceretur, et cum voluptate audiretur. Utinam hunc virum mihi et Academiae diutius conservasset Deus! Sed aliter Ipsi visum est. Mihi tamen memoria viri semper erit jucundissima ejusque in me collata beneficia tamdiu ego recordabor, quamdiu virtutis doctrinaeque amor non penitus ex animo meo exciderit. Sic dolori ipsi, ex ejus amisitione suscepto, benefactorum medebitur cogitatio. Nam ingratus sit oportet is, qui placide et mature morientem ejusmodi virum lugeat, nec solamen quaerat in felicitatis illius recordatione Deoque gratias agat, quod talem ipsi aliquando dederit amicum et praeceptorem, qualem vix unaquaeque hominis aetas proferre solet.

Neque tamen reticendi sunt reliqui hujus Academiae Profesores. Multis enim multa debeo. Ab eorum multis humaniter exceptus, doctior domum redii. Sed hos nominatim compellare et laudare vetat meus mos praesentem laudandi neminem et praeceptum Apollinis, Nosce te ipsum. Nam ipse me intuens, laudationis meae vim et efficaciam video nullam: et exstat alterum praeceptum Ne quid nimis. Nimis autem agere est illud agere, quod cum fructu non possis. Quamobrem meum non est laudare; nec gratias agere meum est. Solum superest gratias habere, quod meum esse, non diffiteor. Utrum autem hoc cuiquam sit profuturum, nescio: mihi vero ita placet. Vale.